

§. 5.

At prudentia naturali, sapientia, amore & clementia, curis denique pro aliis suscipiendis, uti optimus quivis magistratus destitutus esse, nunquam potest; ita ad ejusmodi liberaliores virtutes animi nullum est, quod natura sua magis inclinet, quam mercuriale temperamentum. Optimus itaque princeps vel quivis magistratus, tribus satis descriptis instructus temperamentis, dominante vero illis Mercurio, juxta austерum & fortissimum animum, præ se in primis feret insig-nem ad mores subditorum sese accommodandi facilitatem, pronissimam accipi-endi optima consilia voluntatem, animum amori subditorum, benignitati, huma-nitati addic-tissimum.

§. 7.

Uti vero præsenti rerum humanarum statu evitari in republica sive imperio quocunque calamitates, incursus, sexcenti casus alii, quibus & felicitas civium sub-vertitur & securitas violatur, nequeut; ita ante omnia duce opus est, qui militari, bellicosa, imperterrita animi virtute reliquos facile superet, & ad tuendam felicitatis securitatem, internis externisque periculis sese fortiter objiciat. Quod cum facile ab optimo quovis principe expectetur, in nullo tamen magis deprehenditur, quam qui indolem principis optimam à martis temperamento ceu præside suo guberna-tam possidet.

§. 7.

Igitur quam vera sit hæc nostra huc usque propugnata sententia de indole optimum principem constitente, tribus scilicet illis, in Trajano Optimo Principe à nobis demonstratis, temperamentis; quamque egregiam, & sane optimam na-tura imperantium indolem efficiant; ii magis adhuc videbunt, qui virtutes Mer-curio, Soli atque Marti, proprias inter se commixtas ac temperatas largius animo sistere suo, & ad officia singularia Optimorum principum singulas adhibere voluerint. Mihi enim, ne præfixos transgrediar terminos, id præstare hoc loco haud licet, contento interea & felicem me arbitranti satis, si adeo Tibi, L. B., quantulum cunque hoc specimen indolis ad litteras meæ avidissimæ probatum fuerit, ut succrescens Musa mea benevolum de me judicium, & animum stu-diorum nostris faventem, sperare possit.

